

Kern 254
(1-19)



(3)

SPECIMINIS
METHODOLOGIAE MEDICAE
PARTEM PRIMAM
N O S O L O G I A M
GENERALEM

AUCTORITATE
ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
SUMMOS IN MEDICINA HONORES ADEPTURUS

DIE III. MAII A. MDCCXC.

H. L. Q. C.

DEFENDET

CHRISTIANUS GOTTLIEB TSCHIRSCHNIZ

S I L E S I U S.

HALAE
EX OFFICINA HENDELIANA.



277. GINNIS

MEDICINAE

PARTI PRIMA

NOLOGIA

GENERALI

Ἄπαντα σου ἀποδείξει καὶ μεθόδῳ μαρτυρεῖται.

CLAVS MEDICORVM ORDINIS
GALENVS.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

SVMMO IN MEDICINA HONORE ADPLECTVS

DR. MED. A. W. BOCK

M. D. C.

DEFINIT

CHRISTIANVS GOTTLEB TSCHNECKENBERG

— S I E S I U S —

HALAE

BY OFFICINA NEBELIANA



V I R O
EXCELLENTISSIMO CONSULTISSIMO
IOANNI SAMUELI TSCHIRSCHNITZ
SYNDICO CIVITATIS GLOGAVIENSIS.

PATRI SUMMA PIETATE COLENDO

SPECIMEN HOC INAUGURALE

D. D.

A U C T O R.



1780

EXCELSISSIMO COMITIBUS

IOHANNI SAMUELI TSCHIRSCHWITZ

PHYSICO MATHEMATICO

PATRI SUMMA FIDELITATE COLEENDO

SPECIMEN REC. IMPROBATAE

d. d.

AUCTOR





Differtationem inauguralem conscripturo, animus mihi erat, integram partem priorem Methodologiae medicae, prope modum absolutam, prelo tradendi, ita ut praeter Nosologiam et Semiologiam generalem simul exhibeam. Jam vero multiplici ratione impulsus, quum priorem tantum Methodologiae pathologicae partem solam edere decrevi: expectanda mihi forsan est censura, cui multa videntur supervacanea, multa aliter explianda. Qui tamen intimi rationem habes nexus, qui intercedit inter Nosologiam et Semiologiam generalem, qualem equidem utramque mihi fingo, facile videbis, Nosologiae generalis ordinem atque rationem pendere maximam partem a Semiologiâ generali, utpote quam respicientes per plurimae notiones in Nosologiâ generali definiendae ac interpretandae sunt.

Notandus idem videar, qui nova proposuerim vocabula technica, jam probata aliter explicaverim. Sed quum de hoc laborabam, ut notiones mutationum corporis, quod meum est consilium, rite definiam: opus mihi erat, ad notiones istas designandas, formulis, quas, ut quaeque mihi videbantur aptissimae, ita libentissime recepi, sive novas, sive jam cognitatas. Notiones mihi erant curae, non verba; quibus, qualia ego adhibui, aptiora forsan inveniri, facile concedam. Melius est, ut in omnibus rebus humanis, sic et, auctore Galeno et ratione, in arte medicâ, *rerum differentias intelligere, quam contendere de nominibus.*



METHODOLOGIA MEDICA.

PROOEMIUM.

§. I.

Medici est, solvere hoc problema: tolle phaenomena corporis aegroti.

§ 2. Summa earum notionum et regularum summarum, quibus in univfersum innitur solutio istius problematis (§. I.), absolvit *Methodologiam medicam*.

Schol. Methodologia medica est Logica specialis, quippe quae exhibet regulas, secundum quas cogitas in re medica; seu Logica practica medica, quoad Logicae generalis regulae ad res medicas applicantur. Quemadmodum Logica generalis practica regulas Logicae purae examinat qua impedimenta subiectiva humanae naturae, ita Logica specialis practica Logicae generalis regulas confert cum impedimentis objectivis, ex iis rebus, quae cogitantur, oblatis. (V. cl. Jacobi *Grundriss einer allgemeinen Logik*. §. 36-39.) Sed enim Logicam specialem medicam omnino jam non posse componi forte credas, utpote cui in mentem veniunt, quae Kantius est elocutus (V. *Kritik der reinen Vernunft*. Ed. 2. pag. 76.), verba: „Leztere (Logik des besondern verstandesgebrauchs) wird mehrtheils in den schulen als Propaedeutik der wissenschaft voran geschickt, ob sie zwar, nach dem gange der menschlichen vernunft das späteste ist, wozu sie erst gelanget wenn die wissenschaft schon lange fertig ist, und nur die lezte hand zu ihrer be richtigung und vollkommenheit bedarf. Denn man muß die gegenstände schon in ziemlich hohen grade kennen, wenn man die regeln angeben will, wie sich eine wissenschaft von ihnen zu stande bringen lasse.“ Jam vero Methodologiae medicae esse nequit, regulas indagare, secundum quas Medicina fieri possit scientia. Medicina enim, h. e. summa earum legum, quas, ab experientia edocti, collegimus de cognoscendis et curandis phaenomenis



nis corporis aegroti, quum ab experientia sola pendeat, certo fundamento destituta est. Multum igitur abest, quin ex ipsa arte medica possit scientia (qualem sensu eminenti intelligunt) construi. Quum tamen praeter istas leges de cognoscendis et curandis phaenomenis corporis aegroti existent etiam aliae, magis universales, quae vere innitantur certo fundamento, cognitione nexus causalis, inter varias corporis commutationes intercedentis: disciplina inde oriri potest, quae jure nominanda est Methodologia medica, quia methodum exhibet, secundum quam in quolibet morbo cognoscendo et curando agendum est; ita ut eadem re ipsa sit Logica specialis medica. Methodologia medica eodem modo se habet, ac Methodologia historica, quam inconcinne dicunt Philosophiam historiae. Utraque disciplina id agit, ut explicet, quomodo ea, quae ab experientia edocti sumus, dijudicanda sint. Utriusque igitur disciplinae dignitas pendet a solida cognitione illius scientiae, secundum quam ista dijudicanda sunt, non a quam maxime perfecta cognitione ejus ipsius disciplinae, quae demum conficitur ex iis, quae dijudicanda sunt. -- Quibus tamen non animus est impugnandi eorum sententiam, qui Methodologiam ante scientiam, ad quam attinet, et in scholis esse exponendam, negant.

§. 3. Quum problema idem duobus conficiatur momentis, quorum alterum eo refertur, in quidnam medico agendum sit, alterum eo, quid illi agendum sit: in duas Methodologia medica (§. 2.) dispergitur partes, alteram, phaenomena corporis aegroti, alteram, modum tollendi ista phaenomena spectantem. Illa mihi est *Methodologia pathologica*, haec *therapeutica*.

§. 4. Methodologia pathologica (§. 3.) igitur exhibet notiones et leges summas, quibus adstrictus phaenomena corporis aegroti cognoscas. Quae phaenomena, quum non nisi sublata ipsorum ratione sufficiente tolli possint, eo consilio rimantur, ut nexus eorum causalis eruatur. Hinc et ipsa Methodologia pathologica in duas discedit partes.

§. 5. Ea pars Methodologiae pathologicae, in qua examinatur, quinam in uniuersum intercedere phaenomena corporis aegroti possit nexus causalis, est *Nosologia generalis*.

Schol. Nosologia est doctrina de morbis. Nosologia *generalis* in uniuersum exponit morbi relationem ad causas et symptomata. Nosologia *specialis* singulatim examinat eos morbos, qui κατ' ἐξῆς morbi (νοσοί) appellantur.

§. 6. Alteram partem Methodologiae pathologicae, quae continet regulas, secundum quas nexus causalis phaenomenorum corporis aegroti eruendus est, nomino *Semiologiam generalem*.

Schol. Ea pars scientiae medicae, quae *Semiologia generalis* vulgo appellari solet, re ipsa est *Semiologia specialis*, quia non in uniuersum praecepta de signis, ex praeceptis Nosologiae generalis collecta, proponit, sed de singulis speciebus signorum disputat.

§. 7. In Methodologia therapeutica (§. 3.), quae explicat notiones et regulas summas, quibus omnino innititur modus tollendi phaenomena corporis aegroti, quum medico opus sit instrumentis, ut propositum teneat, iterum duae distinguendae sunt partes.

§. 8. Quarum altera examinat, quidquid omnino instrumentum esse possit phaenomena corporis aegroti sublaturum; *Pharmacologiam generalem* nomino.

Schol. Pharmacologiae *generali* respondet *Pharmacologia specialis*, quae mihi maximam partem eadem est cum *Therapia generali*, quam vulgo dicunt. Nempe *Therapia* iure non potest vocari ea scientia, quae singulas medicaminum classes secundum vim, quam in corpus animale exerunt, vel excitantem, vel roborantem, etc. pertractat. *Therapia* est doctrina de legibus, secundum quas corpus aegrotum sanari potest, non de varia virium indole variorum medicamentorum *). A Pharmacologia vero speciali ita distinguenda

*) Consentientem mecum habeo cl. Hildebrandt, qui omnia ea, quae vulgo attribuantur *Therapiae generali*, per tractavit in isto libro, cui titulum *Pharmacologiae* praefixit. (V. *Versuch einer philosophischen Pharmacologie.*)

guenda est Pharmacologia generalis, ut illa singularum classium medicamentorum singulas quasque vires, quas in corpus animale exferunt, modumque exferendarum virium examinet, haec vero indaget, quidquid omnino requiratur, ut haberi aliquid possit medicamentum.

§. 9. Altera pars Methodologiae therapeuticae, quae exhibet leges, secundum quas tollendorum phaenomenorum instrumenta ad unum omnia adhibenda sunt, mihi est *Therapia generalis*.

Schol. Summae leges, quas *Therapia generalis* de sanando corpore proponit, fundamento sunt univervsae Medicinae practicae, nam earum ratio habenda est in, cuicumque mederis, morbo. Innuntur vero et ipsae notionibus et praeceptis, in *Semiologia* generali designatis. — In libris, *Therapiam* (quam vulgo dicunt) generalem pertractantibus, plerumque eas leges, utut nec omnes, nec fatis distinctas, offendes in isto capite, quod de indicationibus et contraindicationibus agit.

METHODOLOGIAE PATHOLOGICAE

PARS PRIOR:

NOSOLOGIA GENERALIS.

§. 1.

Corpus humanum est corpus, cui est structura organica, viribus animalibus praedita.

§. 2. Corporis humani (§. 1.) potentiae, tum activae, tum passivae, nominantur *functiones*.

§. 3. Si potentiae corporis activae fiunt actiones et passivae passiones, functiones (§. 2.) *exerceri* dicuntur. Actiones et passiones corporis sunt mutationes corporis. Functiones igitur exercentur, si in corpore fiunt mutationes, quaecumque ex potentiis eius fieri possunt.

Schol. 1.



6

Schol. 1. Mutationes corporis continentur variatione modorum corporis h. e. orientibus et evanescentibus modis. Quodsi variationis modorum corporis ratio posita est in ipsâ parte mutatâ vel in sensorio, mutatio nominatur *actio* corporis; ubi vero ratio ea invenitur extra illam partem vel sensorium, mutatio est *passio* corporis. Qui tali modo notioni metaphysicae actionis et passionis inhaeret, plurimos corporis motus adnumerat actionibus, plurimosque sensus passionibus.

2. Quaelibet functio corpori semper convenit, sed non semper quaelibet exercetur. Functio ventriculi (ut eâ utar), facultas, qua digerere potest alimenta, ventriculo semper inest; attamen functionem istam ventriculus non perpetuo exercet, h. e. ipsâ actio alimentorum digerendorum non semper ventriculo convenit. Ex quo apparet, notionem functionum corporis minus recte permutari notione ipsarum actionum corporis, praeterea quum functiones exercentur non tantum actionibus sed etiam passionibus.

§. 4. Ea conditio corporis humani, in qua functiones exercentur (§. 3.), est *vita*, ubi exerceri omnino desinunt, est *mors*.

§. 5. Functiones corporis exerceri possunt eo modo, quo structura corporis organica, viribus animalibus praedita, conservatur. Ubi hoc modo exercentur, *secundum leges bonae valetudinis* exerceri dicuntur. Functiones igitur corporis exerceri possunt, h. e. mutationes corporis fieri possunt (§. 3.) secundum leges bonae valetudinis.

Schol. Corporis organici natura eo redit, ut ejusmodi corpus viribus ipsi innatis conservari possit. In corpore mere organico tantum structura ejus conservanda est; in corpore vero animali non solum structura sed etiam vires istae servandae sunt, quibus additis, natura animalis distert a naturâ corporis mere organici.

§. 6. Quodsi re ipsâ exercentur functiones corporis viventis (§. 4.), non nisi vel secundum leges bonae valetudinis (§. 5.), vel non secundum eas leges exercentur.

§. 7.



§. 7. Ea conditio corporis vivi, in qua functiones ejus exercentur, h. e. in qua mutationes ejus fiunt, secundum leges bonae valetudinis (§. 6.), est *sanitas*.

§. 8. In qua conditione corporis viventis functiones exercentur, h. e. mutationes fiunt, non secundum leges bonae valetudinis (§. 6.), ea est *aegritudo*.

Schol. 1. Conditionem rei nonnulli sic intelligunt, ut sit summa accidentium rei. (V. cl. Jacobi *kritische Anfangsgründe zu einer allgemeinen Metaphysik*. §. 162.) Verum tamen notio conditionis (status) non omnino spectare videtur omnia rei accidentia, sed ea tandem, quae a re abesse possunt, salvâ rei naturâ, quatenus et eadem conjuncta sunt cum iis accidentibus, quae eâ lege a re abesse non possunt. Accidentia sunt praedicata rei; praedicata vero, quae a re abesse possunt, salvâ rei naturâ, sunt modi; quae eâ lege abesse non possunt, sunt praedicata necessaria, nimirum essentialia et attributa. Conditionem igitur melius nominem summam modorum rei, cum ejus praedicatis necessariis junctorum; ita ut haud dissentiam a sententiâ Wolfii, qui statum rei nominat „coexistentiam mutabilium cum iisdem fixis.“ (V. *Philosoph. Wolf*. Tom. I. Ontolog. §. 705.) – Quae si conferuntur cum iis, quae supra (Schol. 1. ad §. 3.) dixi, notio aegritudinis ita explicanda est, vt sit *summa* modorum corporis, cum ejus praedicatis necessariis junctorum, *sic constituta*, vt inter hos modos nonnulli orientur et evanescant non secundum leges bonae valetudinis. Aegritudo igitur morbum atque symptoma simul complectitur.

2. Corpus, quod aegritudine afficitur, *aegrotat*. Singulae quoque corporis partes aegrotare dicuntur, si functiones, quae singulis quibusque conveniunt, non secundum leges bonae valetudinis fiunt. Pars aegrotata igitur functiones exercere quodammodo vsque pergit. Si vero functiones partis ejusmodi exerceri plane desunt, pars ista non amplius aegrotata est, sed *praemortua*. „At enim pars sphaculo capta?“ scilicet et ipsa aegrotat, quoad functiones, utut quam maxime mancas, exerceri potest. Ubi primum vero structura ejus adeo

adeo deleta est, ut functiones omnino non possint exerceri, pars ista corporis re ipsa moritur. Sphacelus partis praemortuae est *mors partialis*.

§. 9. Quaecunque mutatio corporis non fit secundum leges bonae valetudinis (§. 8.), ea nominatur *affectio* corporis.

§. 10. Quaecunque affectio corporis (§. 9.) rationem continet alius affectionis, est *morbus*.

Schol. 1. Sufficit meo consilio, exhibere notionem formalem morbi, ita ut, hujus affectionum speciei ad alias relationem indagans, in medio relinquam, quatenam sit natura morbi. — Aliarum significationum vocis *morbi* mentionem faciam infra (*Schol. ad §. 23 et 49*).

2. Vocibus: *νοσημα, παθος, νοσος* veteres promiscue utuntur. Modo liceat in graecâ linguâ, quod in latinâ licet (haec enim, quae recentiores utuntur in scribendis libris, ubi saepius notiones veteribus ignotae occurrunt, facilius illâ copiam dare videtur sui ipsius ita tractandae, quasi adhuc sit in usu) modo, inquam, etiam nunc liceat vim graecae cujusdam vocis, ubi novitas rerum urget, aliter, quam a veteribus designata est, interpretari, vel tantum plurium vocum ambiguarum sensum coercere in notiones accurate circumscriptas: aegritudinem dicam *νοσημα*, affectionem *παθος*, morbum *νοσος*, favente insuper loquendi modo quorundam pathologorum, qui Pathologiam distinguunt a Nosologiâ, ut alteram nominent scientiam (quas vocant) passionum, alteram morborum scientiam.

§. 11. Cujuscunque affectionis ratio continetur aliâ affectione (§. 10.), ea est *symptoma*.

Schol. Equis est, quem fugiat dissensus pathologorum, veram symptomatis morbi que notionem indagantium? Non nostrum est, tantas componere lites; nil enim nisi alterius relationem ad alterum eruere studemus. (*Schol. 1. ad §. 10.*) Haec tamen monere liceat: Quotcunque librorum pathologicorum in explicandâ morbi ac symptomatis utraque notione inter se dissentiunt, in eo consentiunt fere omnes, ut morbus sit id, ex quo ratio reddatur symptomatis, symptoma vero, cujus ratio

tio reddatur symptomatis, symptoma vero, cujus ratio posita fit in morbo; morbum dicunt causam symptomatis, symptoma id, quod morbo efficitur. Nimirum (nisi illam spectes notionem, cujus §. 23. mentionem injiciam) nihil discriminis alius intercedere potest morbum et symptoma, quippe quae sunt eadem affectiones corporis, non nisi qua relationem discrepantes. Nam affectio aliqua corporis, quae, ubi aliam spectas affectionem, ex qua illius repetitur ratio, nominanda est *symptoma*, eadem appellari potest *morbus*, qua continet alius insuper accedentis affectionis rationem. Quamobrem morbi atque symptomatis notiones et ipsae sunt notiones relativae, quarum altera nullam omnino sine altera vim habere potest. — Dissensus pathologorum in declaranda morbi et symptomatis utraque notione praecipue inde mihi videtur ortus, quod, quae non solum nomine sed re ipsa sane differant, notionibus aegritudinis, affectionis, morbi et aegrotationis non probe distinctis, morbum designarint notione aegritudinis (V. Gaubii *Institut. pathol.* §. 34.) vel aegrotationis, ita ut et ipsam notionem symptomatis, quod a morbo veluti a causa effectum esse omnes (idque jure) contendunt, non potuerint non explicare ambiguam.

§. 12. Quidquid continet rationem, ex qua intelligi possit, quare affectio quaedam corporis oriatur, est *causa* pathologica.

§. 13. Cuius affectionis corporis causa (§. 12.) quaedam praecedat necesse est, nec vlla esse potest affectio, cui non praecesserit causa. Ubi vero invenitur affectio corporis, ibi causa ejus simul et adesse et non adesse potest.

Schol. Quaecumque oritur affectio corporis, ea est mutatio aut structurae organicae (et eorum, quaecumque ad ejusmodi structuram pertinent) aut virium corporis (§. 5.). Mutatio virium corporis, cessante causa, cessat; mutatio vero structurae corporis, utut cessante causa, non cessat. Cephalalgiae v. g., quae orta est propter saburram primarum viarum, tollitur, purgatis primis viis; cessantibus vero convulsionibus, quibus os quoddam luxatum est, luxatio perstat eodem modo, quo, utut extracta glande sclopetaria, vulnus remanet. Symptomata quidem nervosa perstare possunt, utut sublatis causis (quas dicunt) materialibus, sed non nisi relicta impressione nervosa, quae est nil nisi laesa structura systematis nervosi.

B

Ubi

Ubi vero forsā mutatio structuræ corporis, sublata causā, mox cessat, ibi molimen naturæ adest, quod, simulac causā elabitur, structuram in integrum restituere valet (V. infra §. 56.).

§. 14. Cujuslibet affectionis ratio redditur non nisi aut ex mutatione cuius rei (quam dicunt) heterogeneæ, in corpus humanum vim suam exferentis, aut ex qualibet corporis humani ipsius mutatione. Corporis vero humani mutationes vel secundum leges bonæ valetudinis, vel non secundum eas leges fiunt. (§. 6.). Tria igitur sunt causarum genera: quorum *primum* absolvitur mutationibus rerum heterogenearum, quæcunque in corpus humanum vim suam exferere possunt, *secundum* mutationibus corporis humani ipsius, quæ secundum leges bonæ valetudinis fiunt (§. 7.), *tertium* mutationibus corporis humani, quæ non secundum leges bonæ valetudinis fiunt (§. 8.).

§. 15. Primo et secundo causarum genere (§. 14.) continentur res non naturales, tertio affectiones corporis (§. 9.).

Schol. Vocabulum technicum: *res non naturales* in Diæticâ jure exolevit, in Aetiologiâ vero optime mihi congruere videtur notioni omnium eorum, quæcunque functiones corporis humani afficere atque turbare valent. Haec nominari possunt *res non naturales* non per se, sed qua corporis mutationibus perfectæ ejus naturæ alienis (non naturalibus) stipata sunt. Quum tamen eadem afficere possint functiones corporis, ita ut has non turbent: ratio apparet, cur ista appellatio in ea transferri nequeat, ubi de eorundem facultate sani corporis vires conservandi agatur. -- Numerum senarium omnino esse omittendum, non est quod moneam.

§. 16. Causæ igitur (§. 15.) sunt vel res non naturales, vel ipsæ affectiones corporis, quæ rationem reddunt aliarum affectionum. Res non naturales sunt *causæ primitivæ*; affectiones corporis, quæ rationem aliarum affectionum reddunt, sunt *causæ mediæ*.

Schol. Primitivas causas plerumque dicunt *remotas*. Sed et ipsa causa media cum affectione aliqua eo modo conjuncta esse potest,

ut interposita sit alia causa. Igitur et ipsae mediae causae possunt esse remotae. Vicissim causae primitivae non qua omnes affectiones sunt remotae, sed etiam earum affectionum, quae proxime oriuntur ex rebus non naturalibus (V. infra §. 23.), causae proximae. Quamobrem causae primitivae minime eadem sunt cum causis remotis, et a causis mediis non eo tantum, quod longius distent ab affectionibus, quarum ratio in utrisque causis posita est, sed et ipsi indole differunt; continent enim res non naturales, usque ad quas exploratio causarum extendenda est. Neque vero longius eandem explorationem extendere opus est; quare causas istas haud incongrue *primitivas* nominari posse credo.

§. 17. Cuius affectioni corporis causa quaedam primitiva (§. 16.) praecedat necesse est, nec vlla oriri potest affectio, cui non praecesserit causa primitiva.

Schol. Affectio est mutatio corporis, quae non fit secundum leges bonae valetudinis (§. 9.). Ut talis affectio oriatur in corpore, ubi nihil ejusmodi adhuc fuerit, necesse est praecedat alia quaedam mutatio, quae, quamvis non et ipsa sit affectio corporis, hujus tamen redere possit rationem, ergo aut mutatio rei cujusdam heterogeneae, in corpus humanum vim exferentis, aut corporis ipsius mutatio, quae fit secundum leges bonae valetudinis (§. 14.). Utraque haec mutatio est causa primitiva (§. 15. 16.). Quaevis igitur affectio oritur a causa aliqua primitiva.

§. 18. Causae mediae (§. 16.) redundant ex causis primitivis, et interpositae sunt his causis et iis affectionibus, quarum rationem continent.

Schol. Causae mediae sunt affectiones corporis (§. 16.); omnes affectiones oriuntur a causis primitivis (§. 17.); ergo et causae mediae.

§. 19. Morbus est causa ejus symptomatis, cujus rationem continet, nimirum causa media.

§. 20. Cuilibet symptomati morbus praecedat necesse est; sed non semper ibi est morbus, ubi est symptoma (§. 19. 13.)

§. 21. Cujus affectionis proximam rationem causa quaedam continet, ejus est *proxima causa*. Quodsi causae et affectionis

nus nexus causalis ita est comparatus, ut utriusque interpositae sint causae mediae, illa causa nominatur *remota*.

Schol. Vocabulis technicis: *causa remota* et *causa proxima* in pathologorum libris significationes sunt, quam maxime a se ipsis discrepantes. Supra (Schol. ad §. 16.) jam monui, res non naturales minus recte nominari causas remotas. Infra (Schol. I. ad §. 51.) ostendam, non majori jure eam causam, quam curativam voco, appellari posse causam proximam. Alii praedisponentem causam appellarunt causam proximam, occasionales causas remotas. Melius in designandâ yi istorum verborum definitiones metaphysicas rationis proximae et remotae sequimur, ita ut causa remota sit nil nisi ea causa, quae remotam continet affectionis cujusdam rationem.

§. 22. Causae primitivae non nisi remotae (§. 21.) symptomatum causae esse possunt, minime proximae (§. 21. 20.), ita ut ea affectio corporis, quae causam quandam primitivam habet proximam, non nisi morbus esse possit.

§. 23. Morbi, quorum ratio proxima redditur ex causis primitivis (§. 22), sunt *affectiones primariae* corporis.

Schol. Affectiones primariae omnibus pene momentis congruunt iis affectionibus, quae a cl. Daniel (V. *Systema aegritudinum*) nominantur *κατ' ἐξοχὴν morbi (vostoi)*, quippe qui proxime oriuntur a causis (primitivis), et rationem continent symptomatum.

§. 24. Quidquid rationem continet cujusdam affectionis corporis, in eo posita est aut omnium singularum, aut quarundam tantum notarum ejusdem affectionis ratio. Quidquid exhibet omnium singularum notarum cujusdem affectionis rationem, continet ejusdem affectionis *rationem sufficientem*. Quodcumque vero non omnium singularum notarum cujusdam affectionis rationem exhibet, *rationem non sufficientem* continet.

§. 25. Ubicumque est id, quod continet rationem sufficientem (§. 24.) cujusdam affectionis corporis, ibidem semper sit necesse est ea affectio, cujus ratio posita est in illo.

§. 26. Ubi vero est id, quod rationem cujusdam affectionis continet non sufficientem (§. 24.), ibi non semper est ea affectio corporis, quae inde oriri potest.

§. 26.

§. 27. Ratio sufficiens affectionis, sive symptomatis, sive affectionis primariae (§. 23.), qua continetur vel pluribus causis vel tantum unâ, est modo *composita*, modo *simplex*.

§. 28. Quodsi plures causae (§. 27.), quarum singulae quaeque rationem non sufficientem cujusdam affectionis exhibent, in eo conspirant, ut junctae exhibeant rationem sufficientem ejusdem affectionis, nominandae sunt *causae sociae*.

§. 29. Causarum sociarum (§. 28.) ea, quae maximum fecit momenti in exhibendâ ratione sufficiente, est *causa principalis*. Ceterae causae sociae, quae suppleant defectum virium causae principalis ad totam rationem sufficientem exhibendam, sunt *causae auxiliares*.

§. 30. Quodsi causarum sociarum altera vim suam in corpus jam per aliquod tempus exseruit, quando accedit altera causa, illa appellatur *causa praedisponens*, haec *causa occasionalis*.

Schol. 1. Nec praedisponens, nec occasionalis causa sola concitare potest affectionem, quia neutra sola continet rationem sufficientem hujus affectionis (§. 28.). Praedispositio si abest, occasio non nocet, et vicissim si quis, cui est praedispositio, ab occasione cavet, cavet ab affectione. Quum tamen altera causa plus conferre possit ad exhibendam illam rationem quam altera, modo praedisponens, modo occasionalis causa esse potest causa principalis (§. 29.).

2. Notio causarum praedisponentium, et occasionalium in cognoscendis et curandis morbis magni est momenti. Fatendum tamen est, eidem notioni a nonnullis amplio rem, ac par est, tribui significationem. Sunt enim, qui dicant, nullam omnino, ubi abest praedispositio, in corpore oriri posse affectionem. Non est, quod teste utar experientia, qua duce experimur, ab eadem causa, quae alias non nisi progressâ aliâ causâ affectionem quandam concitare potuerit, nunc solâ hanc affectionem esse ortam (ita enim faburra primarum viarum est modo solâ doloris colici causa, modo occasionalis, ubi nimirum praedispositio jam inhaeret intestinis propter nimiam sensilitatem); non opus est pluribus hic probare, esse affectiones corporis, quae ut oriuntur, nulla omnino praedispositio cogitari possit, v. c. vulnera; illud tantum monere liceat, affectionem corporis semper oriri posse ex unâ causâ, simulac haec to-

C

tam

tam reddat rationem sufficientem istius affectionis (§. 25.). Quam rationem sufficientem exhiberi posse ab una causa, nec rationi nec experientiae repugnat, ut exemplo constat causarum vicariarum et solitararum (de quibus paulo infra §. 31 et 38.), quarum quaeque totam continet rationem sufficientem affectionum, ab iis metipsis ortarum. -- Scilicet vero, nullam omnino, ubi praedispositio non adsit, oriri posse affectionem, forsan contendas, modo sequaris sententiam Gaubii, qui notionem causae praedisponentis refert ad omnes corporis humani potentias, ex quibuscunque, affectiones fieri posse, cognoscatur. (V. *Institut. patholog.* §. 609.). Qua tamen sententia tollitur ipsa notio causae, quippe quam id esse principium, ex quo, quare aliquid fiat, intelligi possit (principium fiendi sive existentiae), ergo non illud principium, ex quo, omnino aliquid fieri posse, cognoscatur (principium essendi sive possibilitatis), inter metaphysicos convenit.

3. Notandum est, ubi occasionalis causa est morbus, ut v. g. transpiratio suppressa causa occasionalis esse potest doloris colici, causam primitivam, ex qua iste morbus ortus est, et ipsam nominari causam occasionalem. Quare remota causa doloris colici, aer frigidus, perinde appellatur causa occasionalis istius doloris, ac causa proxima, transpiratio suppressa, ab aere frigido orta. Est igitur causarum occasionalium quaedam sint remotae, cave tamen, ut omnino notionem causae occasionalis eandem habeas cum notione causae remotae (Schol. ad §. 21.).

§. 31. Ubi vero plures causae, quarum singularum quaeque sufficientem continet cujusdam affectionis rationem, ea similitudine copolata sunt, ut rationem sufficientem ejusdem affectionis contineant, nominandae sunt *causae vicariae*.

§. 32. Compluribus causis fociis vel vicariis (§. 31.), inter quas id convenit, quod eandem affectionem corporis, sive conjunctae (§. 28.), sive quaeque per se (§. 31.), producere possint, commune quid sit necesse est, ex quo, quomodo affectio illa fieri possit, cognoscatur; proximam puta rationem ejusdem affectionis.

Schol. Spasmi vasorum abdominalium et thoracorum, abstrusiones eorumdem vasorum, magni tumores in abdomine et thorace, polypi vasorum magnorum, irritationes variae cerebri -- omnes affectiones istae sunt causae vicariae confectionis sanguinis ad caput, cum quaeque

quaeque in se contineat rationem sufficientem ejusdem affectionis. Rationem vero proximam hujus symptomatis, auctam capacitatem vasorum capitis, ex qualibet istarum affectionum eandem oportet repeti, quia inde intelligatur necesse est, quomodo congestia ista ex ejusmodi causis oriri possit. -- Nonnulli rationem proximam, quae pluribus continetur causis, nominant *causam continentem*. Sed, si quid interest inter causae rationisque utramque notionem, certe hoc discrimen vetat istam permutationem.

§. 33. Cujuscunque affectionis ratio sufficiens pluribus continetur causis, sive fociis, sive vicariis, ea, modo est symptoma (§. 27), nominatur *symptoma accidentale*.

§. 34. Qui ponis symptoma accidentale (§. 33.), non idem ponis hanc vel illam causam, quae hujus symptomatis continet rationem sufficientem, sive totam (§. 31.), sive ex parte (§. 28.).

Schol. Positâ v. c. cephalalgâ, non statim ponitur plethora, quia digestio laesa, metastasis variarum acrimoniarum ad caput, vitia interna organica capitis, cet. cum plethorâ sunt causae vicariae cephalalgiae.

§. 35. Symptoma accidentale, a causâ vicariâ productum, nominio *symptoma per accidens necessarium*.

§. 36. Quaecunque causa est vicaria, eam semper sequatur necesse est id symptoma per accidens necessarium (§. 35.), cujus ratio sufficiens ex eadem causâ redditur (§. 25.). Verumtamen posito quodam symptomate per accidens necessario, non statim ponitur haec vel illa ejus causâ vicaria (§. 34.).

§. 37. Causis fociis et symptomatibus accidentalibus laxior est nexus causalis, ita ut, ubi altera adest, alterum abesse possit (§. 26.), et sic vice versâ (§. 34.). Qui tamen ponis tot causas focias, ut junctae exhibere possint rationem sufficientem cujusdam affectionis, idem ponis hanc affectionem (§. 25.).

Schol. Positâ hâc vel illâ causâ fociâ, non statim ponitur symptoma accidentale, quippe quod tantum oritur ex omnibus causis fociis, quibus junctis componitur ratio ejus sufficiens. Sic posito symptomate accidentali, non statim ponitur haec vel illa causâ, quae ad rationem sufficientem

ficientem symptomatis exhibendam aliquid facere potest. Nam huius causae partes in constituenda ratione sufficiente agere potest alia quaedam causa.

§. 38. Si ratio sufficiens alicujus affectionis continetur unicâ tantum causâ (§. 27.), haec est *causa solitaria*.

§. 39. Cujus ratio sufficiens posita est in unicâ tantum causâ (§. 38.), ea affectio, modo est symptoma (§. 27.), nominatur *symptoma essentiale*.

§. 40. Quaecunque causa est solitaria, eam semper sequatur necesse est id symptoma essentiale (§. 39.), cujus ratio sufficiens eadem causâ continetur (§. 25.). Quaecunque affectio corporis est symptoma essentiale, illi semper praecedat necesse est ea causa, quae rationem ejus unica continet (§. 20.).

Schol. Exemplum praebet color flavus membranae conjunctivae oculi in ictero. Ubi enim bilis ex hepate in sanguinem transgressa est, ibidem invenitur color flavus conjunctivae oculi; et vicissim ubi invenitur color iste, ibi bilis ex hepate in sanguinem transgressa est.

§. 41. Quemadmodum ex eadem causâ complures oriri possunt corporis affectiones, quarum altera quaeque alterius rationem exhibet: ita quoque ex eadem causâ, sive primitivâ, sive mediâ, non modo unius sed et plurium corporis affectionum ratio proxima repeti potest.

§. 43. Quaecunque causa proximam exhibet rationem plurium affectionum (§. 41.) eamque sufficientem, ea nominanda est *causa continens*.

§. 43. Causa continens (§. 42.) est singularum earum affectionum, quarum ratio in eâ met ipsâ posita est, vel vicaria causa (§. 31.), vel solitaria (§. 38.).

§. 44. Ubi est causa continens, ibidem semper adsint necesse est omnes affectiones, quarum ratio ex causâ istâ redditur. (§. 25. 43. 36. 38.).

Schol. Sic (ut eo utar) vulnere partibus musculosis inflicto, semper oriuntur haemorrhagia et dolor.

§. 45.

§. 45. Quaecunque causa proximam rationem plurium affectionum exhibet, sed non sufficientem, ea est *non continens*.

§. 46. Quodsi plures causae non continentes (§. 45.) in eo conspirant, ut junctae exhibeant sufficientem rationem plurium affectionum: singulae eadem causae sunt qua singulas has affectiones causae sociae (§. 28.), tum praedisponentes, tum occasionales.

§. 47. Ubi est causa non continens, ibi non omnes adfint necesse est affectiones, quarum ratio ex eadem causa redditur (§. 26. 46. 37.). Ubi vero tot causae non continentes adfint, ut junctae exhibere possint rationem sufficientem quarumdam affectionum, ibi et semper adfint omnes hae affectiones (§. 25. 37.).

Schol. Sic v. c. laesa digestio in corpore robusto perpauca tantum symptomata concitat. Ubi vero jam adest causa praedisponens, debilitas organorum digerentium, omnia oriuntur symptomata, quaecunque ex laesa digestionem oriri possunt: cardialgia, anorexia, ructus, vomituritio, cephalgia, cet.

§. 48. Quum ab affectionibus, quarum rationem proximam causa quaedam continens, vel plures non continentes exhibent, etiam aliae produci possint affectiones: oriri potest summa ac tenor plurium symptomatum, quarum rationem eadem causa continens, vel eadem non continentes exhibent, et proximam, et remotam.

§. 49. Summa ac tenor plurium symptomatum simul praesentium ac sibi succedentium, quae ex eadem ratione sufficiente orta sunt (§. 48.), est *aegrotatio*.

Schol. Aegrotationes in Pathologia speciali appellantur *morbi*. Qui distinguendi sunt ab iis morbis, quos Nosologia generalis hoc ipso nomine designat (§. 10.). Quam v. c. Pathologia specialis morbum nominat, febris biliosa secundum Nosologiam generalem est aegrotatio. Neglecto discrimine, quod diversas ejusdem verbi significationes intercedit, in limitandis variis (quas dicunt) relationibus earum mutationum, quae in aegrotata corporis conditione sunt, omnia miscentur.

§. 50.

§. 50. Quodcumque sufficientem rationem exhibet omnium symptomatum cujusdam aegrotationis (§. 49), idem continet rationem sufficientem hujus aegrotationis.

§. 51. Morbi (§. 41.), qui rationem sufficientem exhibent aegrotationum (§. 50), sunt *causae curativae* *).

Schol. 1. Causa curativa saepius permutatur causa proxima (§. 21.). Sed non omnium aegrotationis symptomatum proximam rationem causa curativa exhibet (§. 48.). Nempe in iis aegrotationibus, quae multis conficiuntur symptomatibus, haec ipsa symptomata in plures quasi ordines redigi possunt, qua causa curativa iis est vel causa proxima, vel magis minusve remota, ita ut ea symptomata, quae proxima orta sunt a causa curativa, sint symptomata *primi ordinis*, quae a causa curativa ope symptomatum primi ordinis intermediorum sunt concitata, symptomata *secundi ordinis*, quae, interpositis symptomatibus secundi ordinis, orta sunt, symptomata *tertii ordinis*. Exemplum plurium ordinum symptomatum apoplexia, ex vomitu orta, facile cuique praebebit, singula hujus aegrotationis symptomata secundum singulorum originem perlustraturo.

2. Plerumque causa curativa est affectio primaria (§. 23.), non semper tamen. Quodsi symptoma quoddam cujusdam aegrotationis rationem exhibet sufficientem aliorum etiam plurium symptomatum, diutius perseverantium ceteribus, haec ipsa symptomata novam conficiunt aegrotationem, cujus causa curativa est symptoma illud prioris aegrotationis, quod reddidit rationem sufficientem perseverantium horum symptomatum. Ejusmodi aegrotationes, aliam aegrotationem insequentes, in Pathologia speciali nominantur *morbi* (Schol. ad §. 49.) *secundarii*. Talis igitur aegrotationis causa curativa jam non est affectio primaria, quae causa curativa erat prioris aegrotationis, sed symptoma quoddam hujus aegrotationis, ex eadem causa enatum. Causa curativa inflammationis non eadem est causa curativa gangraenae, quae ex inflammatione orta est. Quod hydropem attinet, qui febrem scarlatinam sequitur, ratio ejus composita continetur duabus causis curativis, quarum altera est symptoma prae-

* Quod alterum hoc vocabulum attinet, analogiam secutus sum. Eodem jure, quo v. g. vocabulo: *adjectivum* significatio est passiva, illo quoque vocabulo eandem vim tribui posse opinor.

praecedentis aegrotationis, nimia irritabilitas, altera vero affectio primaria, ad causam istam praedispicientem accedens, transpiratio suppressa.

3. Notissimum est illud discrimen, quo *symptoma morbi* distinguitur à *symptomate causae* et *symptomate symptomatis*. Si eos morbos, qui, ut proxime orti sunt a causis primitivis, ita et ipsi causas curativas aegrotationum absolvunt, *morbos non* εἰσὶν appellare licet (Schol. ad §. 23.): discrimen illud symptomatum ibi forsitan probandum videretur, ubi id, quod morbum ejusmodi produxit, eo modo se habeat, ut praeter hunc morbum alias etiam corporis affectiones concitare possit. Sic (ut exemplo utar, quod reperio in ipsius Gaubii l. c. §. 95.) in vulnere venenato laesio contumui esset *morbus*; instrumentum, quod corpori vulnus infixit, *causa*; symptomata, quae a laesione continui oriuntur, v. g. dolor, haemorrhagia, *symptomata morbi*; symptomata, ex symptomatibus morbi enata, v. c. deliquium animi ex haemorrhagia *symptomata symptomatum*; symptomata denique, a veneno instrumenti concitata, *symptomata causae*. Sed cuique patet, eam rem, quae praeter morbum quemdam alias etiam corporis affectiones concitare possit, *non eandem* concitare et morbum et has affectiones. Non idem instrumentum causa est et vulneris et affectionum, a veneno applicato ortarum; sed illius rationem exhibet instrumentum, vi mechanicam praeditum, harum vero affectionum venenum, quod instrumento casu inhaeret. Non una igitur sed duae adfunt causae quarum quaeque aliam producit aegrotationem; altera enim causa rationem continet vulneris, altera rationem ejus aegrotationis, quae in venenato corpore oriri solet. Ex quibus colligitur, omnino non esse posse symptomata causae. Nec vero ea affectio corporis, quae proxima oritur a causa primitiva, appellari potest symptoma (§. 22.). -- Sed et ipsa symptomata symptomatum non probanda sunt. Illud enim symptoma, quod alius symptomatis rationem exhibet, est qua hoc symptoma morbus; nam quaecunque affectio corporis alius affectionis rationem reddit, ea nominatur morbus (§. 10.). -- Restat igitur nil nisi symptoma morbi.

§. 52. Quodsi unus tantum morbus rationem aegrotationis sufficientem continet (§. 48.), una adest causa curativa; si vero plures morbi, plures causae curativae.

Schol. I.



Schol. 1. Numerum ternarium causae curativae ejusdem aegrotationis nunquam forsitan excedunt, hunc ipsum numerum raro attingentes. Verumtamen tres vere adesse posse causas curativas, hoc exemplum probat: Finge, inesse corpori nimiam sensilitatem et irritabilitatem intestinorum, ex qua, accedentibus sordibus primarum viarum, enascatur colica, cujus symptomatum vehementia augeatur a transpiratione suppressa: tres hujus aegrotationis subsunt causae curativae: 1) nimia sensilitas et irritabilitas intestinorum, 2) saburra primarum viarum, 3) transpiratio suppressa; quarum prima est causa praedisponens, ceterae causae occasionales. -- Exempla duarum causarum curativarum quotidie occurrunt.

2. Si ratio sufficiens aegrotationis composita est, causas curativas ita quoque distingunt, ut altera causa sit *materialis*, altera *formalis* (V. cl. Selli *rudimenta pyretolog. method.* §. 18.). Quae tamen distinctio, quum naturam aegrotationis spectet, nihil ad consilium meum attinet, quippe cui sufficit, notiones exhibere formales (*Schol. 1. ad §. 1.*).

§. 53. Persistende eadem aegrotatione, non semper eadem persistet ratio ejus sufficiens, quippe quae eo modo mutari potest, ut 1) quae erat simplex (§. 52.), jam fiat composita (§. eod.), 2) quae erat composita, jam fiat simplex, 3) quae contenta erat causis A et B, nunc contineatur causis A et C.

Schol. Exempla illustrent triplicem illam rationis sufficientis commutationem. Febris putridae sanguineae, quae adhuc est in stadio incrementi, ratio sufficiens esse potest simplex, putredine humorum contenta. Accrui jam facta, haec putredo humorum adeo mitigata est, ut non amplius rationem sufficientem omnium febris symptomatum contineat. Febris igitur subito evanesceret, nisi systema nervorum, putredine affectum, succurreret imminutae putredini, ita ut jam ambae causae curativae exhibere ultra possint sufficientem febris rationem; quae tali modo non amplius est simplex, sed composita ex duabus causis sociis, putredine humorum et debilitate systematis nervosi. -- In epilepsia vero, quae orta est ex causa occasionali, pathemate quodam animi, et altera praedisponenti, nimia irritabilitate systematis nervosi, ratio sufficiens composita, utpote quae ambabus illis continetur causis, fieri

fieri potest simplex, si, animo jam sedato, tanta remaneat impressio nervosa, quae sola continere valeat epilepsiae rationem sufficientem. -- Hypochondriasis denique, quae primam originem ab exanthemate quodam retropulso et debilitate nervosâ duxerat, nunc, exanthemate in cutis superficiem reducto, sustentari potest ab eadem debilitate nervosâ et obstructionibus viscerum abdominalium, quae demum inter decursum aegrotationis oriebantur.

§. 54. Aegrotatio tolli non potest, nisi sublatis causis ejus curativis (§. 25.). Qui tamen tollis causam curativam, non idem semper tollis aegrotationem (§. 20.).

Schol. Qui v. c. reponis impressam cartilagineam xyphoideam, non idem tollis herniam, quae orta est propter vomitus, a depressione istâ concitatos. Ratio apparet ex iis, quae supra (*Schol.* ad §. 13.) dixi.

§. 55. Sicuti affectio corporis affectionem concitare, ita quoque affectio affectionem tollere potest. Ea affectio, quae rationem continet, cur altera affectio simul adesse nequeat, est huic *contraria*.

Schol. Sic diarrhoea rationem continet, quare fordes primarum viarum simul adesse non possunt.

§. 56. Quodsi symptoma cujusdam aegrotationis contrarium est (§. 55.) ei morbo, qui rationem sufficientem exhibet illius aegrotationis, nominatur *molimen naturae*.

Schol. Molimina naturae igitur sunt ejusmodi symptomata, quae causas curativas tollere student; quod praecipue apparet in motibus febrilibus.

E R R A T U M:

Pag. 9. lin. 1. delenda sunt haec verba: *reddatur -- ratio.*

C

THESES.



2

T H E S E S.

I.

Medulla spinalis non est nervus.

II.

Symptomata non omnia sensibus percipi possunt.

III.

Signa, ex causis repetita, majoris momenti sunt in aegritudinibus chronicis quam acutis.

IV.

Ea conditio humorum, quam putredinem dicunt, effici quidem potest a neurosi, sed et ipsa efficere potest neurosin.

V.

Sunt medicamina, quae vim suam in corpus animale exerunt eâ ratione, ut miscelam humorum permutent

VI.

Tantum abest, ut opium contra morbum syphiliticum vi quâdam specificâ gaudeat, ut (aeque ac cortex peruvianus) in isto morbo exhiberi non possit, nisi praesentibus iis symptomatibus, quibus in qualibet aegritudine indicatur.

VII.

Institio variolarum, extra tempus epidemiae variolosae instituta, epidemiam efficere per se nequit.


VIII.

Verbi divini ministrorum meditationes apud lectulos aegrotorum, aegritudinibus acutis laborantium, turbare possunt crises salutares.



PICA 6078





(3)

SPECIMINIS
 METHODOLOGIAE MEDICAE
 PARTEM PRIMAM
 NOSOLOGIAM
 GENERALEM

AUCTORI
 ILLUSTRIS MEDIC
 IN ACADEMIA I
 SUMMOS IN MEDICINA F

DIE III. MAII

H. L. Q

DEFEN

CHRISTIANUS GOTTL

S I L E S

HAL

EX OFFICINA F

